

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Eorundem ad magnum Athanasium pro ineunda cum eo concordia  
eoistola, & quomodo reliquis Orientalibus episcopis suæ cuique sedes  
reddita fuerint, quodq[ue] rursus electo Macedonio Paulus episcopatum ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**

Voniam nemini obscurū est, nos per literas nostras,  
quibus tuæ sanctitatis literis respondimus, iam pri-  
dem Athanasio grauiter obrectasse, & ea de causa,  
quam significabamus, in fraudem deductos, non potuisse  
rationem facti nostri reddere, idcirco apud tuam pietatē,  
præsentibus omnibus præbyteris, fratribus nostris, inge-  
nuè confitemur, omnia, quæ ante hoc tempus ad aures no-  
stras de prædicto Athanasio peruererunt, falsa esse, cōmen-  
titia, & ab eo reuera omnino aliena. Quamobrem cum il-  
lo deinceps communicandi magna cupiditate ducimur, id  
que maxime, quod tua pietas propter insitam sibi bonita-  
tēm nostro errori ignoscere dignata est. Quin etiam hoc  
quoque confitemur, si quando nos episcopi Orientis, vel  
Athanasius ipse, præ malitia in iudicium de hac re vocare  
voluerint, nos ab eo, quod tu statueris, minimè descituros.  
Ario autem, & eius propugnatoribus, qui non modò di-  
cunt tempus fuisse, quando filius dei non erat, & Christū  
ex nihilo constare, verū etiam negāt Christum deū esse,  
& filium dei ante secula exitisse, (sicut in superiore no-  
stro libello Mediolani edito ostendimus) & hoc tempore  
& aliàs semper semper anathema denuntiamus. His literis  
nostra ipsorum manu scriptis confitemur rursus nos, h̄ere-  
sim Arianam, uti antè dictum est, & eius defensores perpe-  
tuo cōdemnasse.

Ego Ursacius huic meę confessioni  
coram subscripsi. Similiter etiam  
Ego Valens.

Quare quæ Julio confitebantur, sunt ista quidem: quæ  
autem scripsere ad Athanasium, hoc in loco quoque à me  
sunt ponenda necessariò. Sic enim se habent.

Eorundem ad magnum Athanasium pro incunda  
cum eo concordia epistola, & quomodo reliqui  
Orientalibus episcopis suæ cuique sedes redditæ  
fuerint, quodq; rursus electo Macedonia Pau-  
lus episcopatum recuperauit. CAP. XXIII.

SOZOMENI HISTOR.

Domino ac fratri Athanasio episcopo Ursacius &  
Valens episcopis. S.

**O**ccasionem quidem nocti, frater charissime, per fratrem  
& compresbyterum nostrum Musaeum, qui ad te ve-  
nit, literas dandi, per hunc ad te ex Aquileia salutem  
mittimus: petimusq; abs te, ut fano ac syncero animo no-  
stras literas legas. Atq; si per literas nobis responsum de-  
deris efficies profectò, ut nos de tua nobiscum recōciliati  
gratia admodum confidamus. Nam te scire volumus, nos  
tecum & pacem habere, & communionem ecclesiasticam.  
Has quidem res ita se habere, salutatio à nobis per istas li-  
teras ad te missa, satis magno indicio est.

Athanasius igitur ab ea imperii parte quæ vergit ad solis  
occasum, in Aegyptum reuertit. Paulus item, Marcellus,  
Asclepas, & Lucius suas episcopales sedes recuperarunt:  
quandoquidem ex literis imperatoris hisce quoque facta  
est potestas ad sua redeundi. Quin etiam Paulo Constan-  
tinopolim ingresso, cessit Macedonius, & separatim perse-  
conuentus egit. Ancyra autem, cum Marcellus in eam in-  
traret, Basilio ex illa ecclesia depulso, maximus tu-  
multus fortè ortus est. Cæteris verò episco-  
pis ad suas sedes non ita difficilis  
patebat aditus.

TERTII LIBRI FINIS.

HERMIAE